

“ Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, validè possunt in isto loco matrimonium sine parochò et testibus contrahere ?

2^o. “ Quid, si eo prædicti incolæ tam masculi quàm feminae solo animo sine parochò et testibus contrahendi se transferant, habitationem nou mutantes ?

3^o. “ Quid, si transferant habitationem illo solo animo ut absque parochò et testibus contrahant ?”

“ Sacra Congregatio respondit ad primum et secundum non esse legitimum matrimonium inter se sic transferentes ac transientes cum fraude. Ad tertium si domicilium verè transferatur, matrimonium esse validum.”

QUÆRITUR 10^o. Pars catholica diocesis Quebecensis et pars hæretica Ditionum Fœderatarum, utraque natu minor, contrahunt inter se solas matrimonium absque testibus in Fœderatarum Ditionum terris. Estne validum hoc matrimonium ?

RESPONDETUR : Est validum. Pars enim hæretica Ditionum Fœderatarum suam communicat immunitatem parti catholicæ diocesis Quebecensis. Ætas verò minor nullum hic facessit negotium. Hæc tam sæpè repetita sunt, ut inutile prorsùs sit vel minimum nunc addere verbum.

QUÆRITUR 11^o. Pars hæretica earumdem Fœderatarum Ditionum et pars catholica diocesis Quebecensis matrimonium inveniunt in præfatâ diocesi magistratu coram et duobus testibus ; validène contrahunt ?

RESPONDETUR : Validè ; etiamsi nullus adsit testis ob rationem in superioribus solutionibus allatam.

QUÆRITUR 12^o. Catholica pars Ditionum Fœderatarum et pars hæretica Quebecensis diocesis matrimonium inter se solas celebrant absque testibus in præfatâ diocesi. Estne validum ?

RESPONDETUR : Validum ; pars enim hæretica gaudet Benedictinâ declaratione, et immunitatem ex illâ proveniente cum parte catholicâ Ditionum Fœderatarum.

QUÆRITUR 13^o. In Ditionibus Fœderatis Americæ Septentrionalis, sacerdotes catholici à tempore immemorabili celebrare consueverunt matrimonia catholicorum cum hæreticis. Suntne iuribus licita mixta hæc matrimonia ?

RESPONDETUR negativè. Duplicè enim in sensu sumi potest verbum illud *celebrare* ; et vel significat nuptialem impertiri benedictionem, vel nuptiis dumtaxat adesse. Ab utroque officio arcentur sacerdotes, cum illicita semper ab Ecclesiâ habita sint istius modi matrimonia, nec licita fiant nisi specialis præcesserit apostolica dispensatio, quæ gravissimis tantùm de causis et post maturum examen solet concedi. Causæ verò gravissimæ censentur, si in publicum bonum vergant, et si eas comitentur expressè et perquam necessariæ conditiones quæ sequuntur : 1^o. Ut nullum adsit periculum quòd pars catholica ab hæreticâ perverti possit : imò è contrario spes affulgeat probabilius futurum ut pars hæretica ad saniorum frugem à parte catholicâ revocetur. 2^o. Ut proles utriusque sexus ex eo procreanda conjugio in catholicæ religionis sanctitate omnimò educetur. Quæ si causæ conditionesque concurrant, solet quidem Apostolica Sedes concedere ut presbyter approbatus nuptiis intersit ; at nullo modo nuptialem impertiatur benedictionem. Dispensatio isthæc pro præfatis matrimoniis non præsumitur, quæ idcirco illicita æstimanda sunt. Consuetudinem verò contrariam à tempore immemorabili vigentem sacra Congregatio non probat, nec tamen apertè nunc interdicit, verita ne graviora indè mala proveniant. In id autem omnes vires suas omnemque pastorem sollicitudinem impendere deberent præsules ordinarii, ut eam consuetudinem abusum imò reprobandum leniter et paulatim à suis usque radicibus evellant.

Feriâ III, loco IV, die 17 novembris 1835. In Congregatione generali sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis habita in conventu sanctæ Marie supra Minervam, coram Emis. et Rmis. DD. Cardinalibus contra hæreticam peccitatem Generalibus Inquisitoribus, supradictam Instructionem circa dubia proposita ab R. P. D. Archiepiscopo Quebecensi, idem Emi. et Rmi. DD. approbârunt.

ANGELUS ARGENTI, S. ROMANÆ ET UNIVERSALIS

Loco + Sigilli.

INQUISITIONIS NOTARIUS